



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs


Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)



+ Th. 3167.
Vitæ Sanctorum.
Mamuale exercitij Andr. Capelle.

J. XIV. 22.



In dem Jahre 1748
Friedrich Beckmann
Chirurgus
in Jena
Cremy me fecit

ANNVS
SANCTVS
AC
FORTVNATVS.
IN STRENAM
SPIRITVALEM


OBLATVS

ANNO

1648.

Sol. 35 IV Paderb. 1659.
S. Augustinus serm. 47. de Sanctis.

Ab iis Sanctorum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum exempla sequuntur. Imitari ergo non pigeat, quod celebrare delectat. Ait enim Paulus; si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum.



Coloniae Agrippinae,
Apud WILHELMVM FRIESSEM
sub signo arboris ante S. Paulum.

Anno M, DC. XLVIII.

CHRISTIANE LECTOR
SANCTVM ANNUM,
ac fortunatum optans,

Obias, ut notum est ex Sacris libris, vias
felices dies & Annos bonos, ac fortunatos
Duce Angelo Raphael habuit inter gra-
uia licet pericula. Vis & tu pares habere?
dum viam vita transis? Dum viam anni huius in-
grederis ac decurris? Raphaelem tibi inquirere. Ad
aliquem Sanctorum, uti Iob monet, c. 5. conuertere.
Sanctus hic tuus sis Raphael, praeter Custodem An-
gelum, quem simul pro tuo Duce admittit: Huius du-
ctum, exempla, monitusq; sequere, sicq; certo tibi &
Annum Sanctum, & Fortunatum promitte. Nec
dubita, Fratres enim sunt nostri, & iam flagrante
charitate sunt pleni, neq; illis opus est amplius, ut pro
se sint solliciti. Operam, operamq; suam tibi libenter
impudent: exemplo suo ad omne bonum praibunt:
è caelo diuersas, quibus eges, gratias impetrabunt.
At, at hoc Sanctum genus deuotionis non soli tibi ha-
be: fac aliis tibi notis commune ac familiare. Si ca-
put es alicuius familia, in ea circa anni, mensisque
principium sorte Patronos Sanctos distribue, & tuo
alios exemplo ad eorum cultum imitationemq; per-
trahere. Certè id iam ante 400. annos à pijs Christia-
ni factitatum teste Casario accepimus. Factum id à
B. Francisco Borgia in Aula ac Ducali familia sua
antequam Societatem IESV ingrederetur, in qua fa-
ctus postea Generalis piam hanc consuetudinem pri-
mum in Societatem, deinde in Sodalitates Virginis
An-

*Annuntiata magno cum fructu per totum orbem in-
duxit. Age hunc imitare: & si tibi modi, rationesq;
Patronos colendi desunt, cum XII. Patronis utriusq;
sexus, etiam XII. praxes colendi Sanctos menstruos
vel annuos ex Breviario Romano, ex Surio, exq;
Fastis Marianis accipe, utere, hisq; felix evade.*

PRAXES XII.

Colendi Sanctos Patronos Menstruos vel Annuos.

1. Electioni interfaturus, recita, Veni Creator Spiritus &c. cum Collectâ, oraque DEVM vt mittat tibi Patronum animæ tuæ vtilem ac profuturum.
2. Sorte tibi datum Patronum accepta, exosculare, gratias DEO age, req; illi commenda.
3. Imaginare semper tibi eum adesse omni loco ac tempore: honora eum: nihil in nomine eius petatum negato.
4. Caue aliquid agas, dicasue coram eo, quod coram honesto viro agere vel loqui puderet.
5. In omni tua necessitate corporis & animæ ad Patronum tuum recurre, opem pete, cum eo precibus luctare, vt Iacob cum Angelo.
6. Omni die fac aliquid in honorem illius, maximè vero eius festo; Confitère peccata; Communica; profesto ieiuna; Eleemosynam da; missam audi; mendicum ciba; fac disciplinam; gesta cilicium, vel cingulum; ora rosarium &c.
7. Lege aliquoties Vitam Patroni. nota Virtutes. stude imitari.
8. Obserua diligenter piam, quam tibi quasi à
Deo

- Deo secum adfert Patronus sententiam.
9. Virtutem adscriptam in honorem Sancti omni die cole.
 10. Ora quotidie ad intentionem in imagine Sancti adscriptam.
 11. In fine Anni vel mensis gratias age Patrono pro patrocinio impenso.
 12. Ora, vt in fine vitæ adesse velit tibi agonizanti, ac opem ferre.

M O D V S

*Orandi, ac offerendi se quotidie, B. Virgini aliq̃
SS. Patronis.*

SANCTISSIMA Virgo MARIA, S Ioseph, ac Sancte N. Patrone mihi dilectissime, Ego licet sancto conspectu vestro indignissimus, fretus tamen pietate vestra mirabili & impulsus DEO, vobisq; seruiendi desiderio, eligo vos hodie coram curia cœlesti vniuersa in meos peculiares Dominos ac Patronos, firmiterq; propono me impostertum vos secuturum, curaturumq; vt ab alijs quoque vobis seruitium exhibeatur. A vobis ergo Patroni mei clementissimi per Sacratissimum quem pro vobis, nobisq; Dominus noster IESVS Christus æterni Patris filius sanguinem fudit peto suppliciter, vt in eorum, qui se vobis deuouerunt numerum admittere dignemini in seruitium perpetuum, & mihi à DEO gratiam impetrate, vt in cunctis cogitationibus, verbis atque operibus ita me habeam, vt nihil vnquam ex me, neque DEI, neque vestris oculis displiceat, sitisq; memores mei, opemq; ferre nunc & in hora mortis meæ. Amen.

S.

EXEMPLA QVÆDAM

Circa Patronos Annuos, Menstruosq; notabilia.

EXEMPLVM I.

Neapoli Anno 1604 monetur Sodalium vnus voce de cœlo missa, quæ ratione se cum menstrua Patroni schedâ gerere debeat. 1. vt se cum omni diligentia Patrono suo commendet. 2. Vt Patroni imitetur exemplum. 3. Vt verba subscripta non aliter accipiat, quam si ab ore, Dei, vel Spiritu Sancto prolata essent.

EXEMPLVM II.

Barij Sodalis quidam, cum hostem suum occidere destinasset, acceptâ cum Patrono sententiâ, qua iubebatur ex amore DEI inimico parcere, in publico foro hominem deprehendens, accidit ei ad genua, veniamq; indulget.

EXEMPLVM III.

Neapoli Ciuis quidam Septuagenarius cum duobus annis Sodalis fuisset, hos totius vitæ felicissimos prædicabat, & voluit sibi ægro, & ad agonem tendenti ad collum alligari omnes Patronos menstruos, quos in Sodalitate acceperat, atq; secum sepeliri, quo eorum & viuis & mortuis patrocinio frueretur.

EXEMPLVM IV.

Cæsaraugustæ Sodalis Anno 1594 dum per pontem fluminis Iberi equitat, oratque rosarium

rium in honorem S. Augustini Menstrui sui Patroni labitur cum Equo de ponte, meso equo inhaeret ipse trahi cuidam media suauissime, & periculum euadit.

EXEMPLVM V.

Sodalis in Brasilia lethaliter iuxta fluuium vulneratus, ad se rediens, inuocat S. Barnabam Patronum suum, fluuium bene profundum transire tentat, & quasi palpabiliter Patronum sentit se sustentare ne mergatur, sic mirantibus omnibus periculum euasit.

EXEMPLVM VI.

Neapoli improbo Sodali S. Hieronymus Patronus obtigerat, qui de nocte Clienti apparet, ostentatq; ardentem fornacem, adijciens, hac cum certo cruciandum nisi resipisceret.

EXEMPLVM VII.

Ibidem noctu Sodalis à dæmone lecto extractus Patronam quam sortitione acceperat inuocauit; & ecce mox adfuit Virgo cœlestis (viriq; MARIA fuit) & malignum abegit, ingrens: an ignoras impie quibus ille armis hodie sit munitus? EXEMPLVM VIII.

Eduardus Rex in Anglia pro patrono habuit S. Ioannem Euangelistam, in cuius honorem petenti nihil vnquam alicui negauit.

EXEMPLVM IX.

Neapoli Sodalis quidam amore non satis casto inflāmatu Patroni menstrui sententiā monetur emendationis: reijcit hanc, quia putat datam sibi non sorte, sed destinato: sortitur aliū

Pa-

Patronum & eandem sententiam accipit : no-
tans DEI prouidentiam serio se emendauit.

EXEMPLVM X.


Monitus Sodalit sententia S. Greg. Patrono
subscripta; Ne cessa ab oratione, non enim re-
cusabit tibi DEVS, licet differat, quod dare desti-
nauit: vim prauæ consuetudinis repressit: se-
quenti mense eandem accipiens sententiã for-
tius orationi institit, donec prauam omnino
propensionem superauit.

ORATIO

*Ad quemcunq; S. Patronum & Patronam hono-
randum & inuocandum dicenda.*

AVe vernans flos Cœli, & gloriose ciuis cœ-
lestis paradisi, Beate N. gratias ago Domi-
no DEO meo pro omnibus bonis, quæ in Te per
merita IESV CHRISTI contulit. Laudo illum ac
benedico; Tibiq; in augmentum gaudij & glo-
riæ offero totius beatitudinis gazophylacium,
COR IESV CHRISTI mellissimum. O Domine
mi Patrone Sanctissime, ora pro me misero pec-
catore. Impetra mihi plenam peccatorum ve-
niam, & bonum virtutum tuarum Spiritum,
cælestemq; gratiam, vt DEO perfectè reconci-
lier, illiq; placeam semper. Adesto mihi etiam
nunc & in hora mortis meæ, cuius agonem, o-
bitumq; attentius tibi commendo. Benignè
me tunc consolare, conforta, ac protege. Efficere
vt meritis Domini mei IESV CHRISTI, tuisque
anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam
æternam perueniat, Amen.

F I N I S,



qu
di
fre
di
&
ru
pe
ni
po
ca
m
be
lu
da
ex
D
fu
&
iu
C
fi
sa
ta
b
o
a
h
m
i
n

S. ANTONIVS ABBAS

17. Ianuarij.

1. Natus est nobilibus, pijsque Parentibus, sancteque educatus, vanas & ineptas fabulas auerſibatur, diuina vero libentiſſimè audiebat: Tempa affidue frequentabat: In quo, cum mortuis Parentibus auდიisset illud ex Euangelio: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & habebis theſaurum in caelo ſempiternum: mox abiit bona ſua Pauperibus omnia diſtribuit, mundo ſe penitus abdicauit, ad ſolitudinem ſe recepit. vt Deo liberius ſeruire poſſet. DOC. Gratijs age Deo pro bona parentum educatione. Fabulas inuiles ſperne: diuinis inhia.

2. In ſolitudine orationi & meditationi vacat: manuum labores adiungit, lucrum pauperibus diſtribuit. Aliorum virtutes obſeruat, imitatur, & breui ſuperat omnes. DOC. Fac & tu ſimilia pro tuo ſtatu.

3. Infeſtatur varijs Diaboli tentationibus mundanis & carnalibus, ſed meditatione mortis, Iudicij extremi, & poenarum infernalium facile ſuperat, a Damone diuerberatur, à toto Diabolorum exercitu ſub ſpecie Leporum, Leonum, Draconum, Tygridum &c. vehementiſſime oppugatur: ſed Fide Chriſti, eiusque cruce munitus omnes mox fugat. DOC. Fide Chriſti ac oratione omnes tentationes vinces.

4. Omnes ad ſe venientes benignè ſuſcipit, inſtruit, monaſteria multa condit, Deo ſeruire docet. Sapientes Aulicos, & Philoſophos illiteratus confutat. Morbis & Damonibus obſeſſos liberat. Omnibus charitatem exhibet. DOC. Fias & tu omnibus omnia.

5. In operibus bonis continuo perſeuerat vſque ad annum tot, tunc ſuos omnes ad amorem Dei adhortans ad Eremum redit, ibique latus in Domino, mortem ſuam praſciens obdormiuit. DOC. Perſeuera in bono, quia ſolus qui perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit.

S. AGNES VIRGO & MARTYR.

21. Ianuarij.

1. Agnes & genere & corporis pulcritudine præstantissima annorum 12. scholar frequentat, literas, artesque muliebres studiose discit cum omni pietate in DEO & Sponsum Christum, cui tota deuotione deseruit vouetque Virginitatem. DOC. Studia tuo statui congrua diligenter pertracta. Virginitatem ama.

2. Procum nobilissimum, honores, diuitias, voluptates carnis omnes offerentem præ amore Sponsi sui Christi reijcit, nullis blanditijs minisque à proposito deflecti potest, etiam nullis verberibus, alijue cœnis. DOC. Caue ne & tu Sponsam animæ tuæ Christum per peccatum deseras.

3. In Inphanari nuda prostituitur, sed pudicam Agnellam Deo se commendantem Angelus protegit. Corpus Virginis capillo mox excrecente tegitur: lumine circumfunditur, Terrentur omnes impudici accessores. Procus nobilis impudice se ingerens ab Angelo occiditur, quem Agnes precibus suis resuscitat, ac conuertit. DOC. Castitas Deo Angelisque chara defenditur honoraturque hanc ama.

4. Flammis Agnes addicitur, iniiciturque sed protegit eam Angelus, flammam in circumstantes carnifices, aliosque Gentiles conuertit, ab Agnate auerit, donec gladio transfixa occumbit. DOC. In flammis etiam innocentia viget floretque, & tandem morte æternam in cœlis triumphat.

5. Mortua Parentibus triumphans inter multos Sanctos apparet, monetque ne se in cœlis triumphantem desceant. Emerentiana Virgo ad sepulcrum eius martyrio coronatur: Constantia sanatur, & ad Christi fidem conuertitur. DOC. Virtus Sanctorum post mortem etiam uiuit hic, & in cœlis triumphat.

SIGNATIVS Mart.

1. Februarij.

1. Ignatius tempore Christi vixit puer innocen-
tissimus, quem Christus in exemplum populo, suis-
que discipulis proponens, dixit: Nisi efficiamini sicut
paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. c.
18. v. 3. DOC. Et tu esto Innocens, ac humilis, Christo-
que gratus eris.

2. Fuit S. Iohannis Evangelista Discipulus, & Virtutis
hæres: hinc Tertius Antiochenus Episcopus est crea-
tus, vbi sic Dei honorem zelauit, vt Deifer Ignatius
vocaretur. Ab eius cultu, nec bla. diijs nec minis Tra-
iani Imperatoris abstrahi potuit. DOC. Zela & tu ho-
norem Patris tui DEI si verus es eius filius.

3. Captiuus Romam mittitur, in itinere multa à
militibus patitur, de quibus scribit ipse. Pugno cum
bestijs in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum de-
cem Leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt,
quibus cum benefeceris, peiores fiunt. DOC. Patere &
tu libenter à tuis Leopardis, Amicis & Inimicis; sed
pro Christo.

4. Inter vincula, pressurasque clamat: Nunc inci-
pio Christi esse Discipulus, nihil de his, quæ videntur
desiderans vt IESVM Christum inueniam. Ignis Cru-
cifixæ, contractio ossium, membrorum diuisio, & to-
tius corporis contitio & tota tormenta Diaboli, in me
veniant, tantum vt Christo fruam. DOC. Sic fortis esto
Christi miles, ac gloriosus eo fruens.

5. Cum damnatus esset ad bestias, audiretque Leo-
nes mox se inuasuros, exclamat intrepidus: Frumen-
tum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis
mundus inueniar. Et verò inuentus est, quia in corde
dilatati Martyris, nomen IESV repertum est
inscriptum. DOC. Sic & tu
ama IESVM.

S. APOLLONIA Mart.

9. Febr.

1. Apollonia virgo Alexandrina iam prouecta aetatis, cum sub Decio Imperatore ad idola sisteretur, ut ea veneretur; illis contemptis IESVM Christum verum DEVM colendum esse praedicabat. DOC. Sic cole Virginitatem, cole & IESVM animae tuae sponsum.

2. Quia deos Ethnicorum detestabatur, omnes ei contusi sunt, & euulsi dentes; ideoque contra dolores dentium Patrona inuocatur, ijsque persaepe medetur. DOC. Pro Deo ac veritate fax & tu patienter alapas, doloresque dentium.

3. Minantur accenso rogo impij carnifices viam comburendam nisi Deos coleret; sed elapsa ex eorum manibus, ipsa met alacris in ignem insilijt, maiori Spiritus Sancti flamma in corde intus accensa. DOC. Nil hominum minas nil ignes pro Deo facias.

4. Flammas consumpto corpore spiritus in caelum edolat sempiterna martyrij corona nobilitatus, quod patrata post mortem miracula attestatur. DOC. Patere modicum, ut triumphes aeternum.

5. Oratio, qua S. Apollonia contra dolores dentium inuocatur, haec est.

ORATIO.

Virgo Dei egregia } Ne pro reatu criminum
Pro nobis Apollonia } Morbo vexemur dentium;
Tūde preces ad Dominū, } Sed sanitate capitis
Ut tollat omne noxium. } Fruamur, atque corporis.
X. Specie tua & pulchritudine tua.
M. Intende, prosperè procede & regna.

OREMVS.

DEVS pro cuius Sanctissimi nominis honore B. Apollonia Virgo, & Martyr amaram & horribilem dentium excussionem sustinuit, praesta quosumus, ut qui eius venerandam memoriam pia deuotione frequerant, hos à terro dentium dolore immanes custodiat, & post huius vitae arumnas ad beata patriae gaudia perducatur. Per Dominum, &c.

S. IOSEPH SPONSVS B. VIRGINIS.

19. Martij.

1. Ioseph ex regia stirpe David progenitus, prius in utero matris sanctificatus à pluribus Doctis viris habetur, Proprio nomine Augmentum dicitur, quia gratia DEI impulsu in virtutibus semper crescere & augeri studebat. Hinc nullus inter Contribules eo dignior inventus est, qui MARIAE matris DEI, Reginae coeli verus Sponsus fieret. DOC. Esto & tu in Virtutibus proficiens, ac filius accrescens Ioseph, Deoque placebis.

2. Memento (ait Bernardus) magni Patriarchae Iosephi in Aegypto venditi hunc Iosephum non solum nomen fuisse sortitum, sed & castimoniam, quam toto tempore seruauit adeptum, innocentiam eiusdem etiam affectum, & gratiam. DOC. Has & tu virtutes imitare, & gratia Dei frueris.

3. Non est dubium, quin Ioseph fuerit Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: suae scilicet Matris solatium, in omnibus itineribus & persecutionibus: suae carnis Nutritium labore manuum (erat enim Faber) vitae necessaria acquirentem: & solum in terris magni consilij Coadiutorem fidelissimum. DOC. Magna est Iosephi dignitas, Imitare pro Filio DEI laborantem.

4. Apparet Angelus in somno Ioseph, docet mysterium incarnationis: nato IESV, mandat cum eo, & Maria fugam in Aegyptum. Manet ibi iussus vsque dum aliud Angelus dicat ei. DOC. Committe te Angelo, fide ei, & obedi, seruaberis.

5. Moritur Nazarethi inter IESV & MARIAE brachia precesque sanctas, vt his verbis eius prodit officium Felix quem in vlnis Iesus & Maria Tenuis cubantem, dum in Agonia Spiritum efflantes, ac directa via Tenderes ad Patres sanctus vita pia. DOC.

Inuoca eum pro felici
morte.

S. GERTRVDIS Virgo.

17. Martij.

1. Gertrudis Principis Pipini filia à matre Itha pijs-
simè in amore Christi edueata , totam se eius seruitio
addixit. Mundanarum pertasa rerum ad diuinam iu-
giter pulchritudinem anhelabat. DOC. Anhela & tu
mundana spernens, si sapis.

2. A magno Principis Austrasij Filio in sponsam
petita, Patri & Dagoberto Regi Galliz cõiugium istud
urgenti respondit: Ego neque hunc auro fulgentem,
neque mortalium quemquam ; sed Christum DEVM
ac Dominum, solum mihi sponsum elegi. DOC. Elige
& tu hunc animæ tuæ sponsum.

3. Mortuo Patre, se cum Matre vidua cœnobio à
se constructo inelufit, vt à mundi turbis remota Deo
liberius seruiret. Calumnias graues patientia superat.
Curam pauperum & peregrinorum suscipit, omnèque
charitatem exhibet. DOC. Fuge mundi tumultus, vt
Deo seruias, charitatemque alijs libenter exhibe.

4. Mortua Matre totam se rerum diuinarum me-
ditationi impendit. Alta diuinitatis mysteria intelligit.
Totam sacram scripturam memoria tenet , alijsque
explicat. DOC. Hæc digna homine Christiano studia
complectere.

5. Diem vltimum sibi prædictum, vt nuptialem
amauit, ad eum summis desiderijs anhelauit, munita-
que sanctissimis sacramentis obiuit. Tumba cui illata,
quamque diu ante sibi parari fecerat , virtutis
odorem diu post mortem spirauit. DOC.

Anhela & tu ad transitum ex
hac mortali vita, vt Deo
seruaris.

ce
ru
er
co
Bo

eu
su
ui
m
pi

fi
R
ei
&

if
C
r
E

i
r

S. FRANCISCVS de Paula.

2. Aprilis.

1. Parentes hunc filium voto facto S. Francisco suscep-
erunt, ideoque Franciscum in baptismo vocave-
runt. Hic adhuc adolescens diuino ardore accensus, in
eremum secessit, vbi annis sex solus victu asperam,
coelestibus meditationibus suauem vitam duxit. DOC.
Bonum est seruire Deo ab adolescentia.

2. Fama virtutum notus, cum à pluribus viseretur,
eumque imitari vellent, charitatis causa eremo egres-
sus Coenobium & Ecclesiam propè Paulam ædifica-
uit, vnde & cognomen accepit, vbi ordinis sui funda-
menta iecit. DOC. Propter fraternam charitatem pro-
pria sæpè commoda deserenda.

3. Perpetuam Virginitatem seruauit; humilitatem
sic coluit, vt se, suosque hinc Minimos dici voluerit.
Rudi amictu, nudis pedibus incedebat. Admiranda fuit
eibi potusque abstinentia, carnibus perpetuo abstinens
&c. DOC. Has & tu imitare virtutes, & in eo lauda.

4. Sic charitate in Deum hominesque flagrauit, vt
igneus ei globus caelo descenderit, in cuius medio,
CHARITAS, scriptum erat, quam deinceps pro sesse-
ra sua, ordinisque sui habuit. DOC. In hac excelle, &
DEVS es, vel diuinus: DEVS enim charitas est.

5. Reiectus aliquando à nautis in Siculi maris tra-
iectione pallio super fluctibus explicato ipse cum socio
mare transiit, vt & anno ætatis 91. coelos omnes,
Empyreo felix receptus. DOC. Mirare, & lauda
Dei elementa sanctis obsequi, atque
in bono perseuera.

S. CATHARINA SENENSIS V.

30. Aptilis.

1. Catharina vt primum fari potuit gradus con-
scendens, per singulos Virgini Matri, Aue Maria, deuotè
recitabat. DOC. Assuescant Christiani à teneris MA-
RIAM amare, ac sapius salutare.

2. Anno ætatis septimo Christo sibi, apparenti se
iu Sponsam voto virginitatis consecrauit: Christus ve-
ro præsentre Matre, alijsque cœlitibus se in Sponsum
Catharinæ obtulit. DOC. Attende quid Amor Christi
possit, & huic stude.

3. Vt eius amorè Christus probaret, sumpto mendici
habitu sapius strem ab ea petiit, quam impetratam
coram cœlitibus laudauit. DOC. Caue me Christum
sub mendicis latitantem vacuum à te sine charitate
repellas.

4. Vt virtutem excoleret, foeminae foedo vlcere la-
boranti operam addixit, à qua pro stipendio meras
calumnias referebat: hinc subtristior facta, vt se ipsam
superaret, Christoque sponso se probaret, ex ipso vlcere
pus exsugit. DOC. Sic discite te pro Sponso generose
superare.

5. Christo offerente illi Coronam auream, &
coronam spineam, vt optionem faceret, Spineam mox
inuasit, qua Sponsum sciebat fuisse ornatum ac
transfixum: auream volebat alacri vitæ re-
seruari. DOC. Patere & tu cum Chri-
sto, eumque ipso æternum co-
ronaberis.

S.
fu
eg
ve
at
fu
de
lo
gi
&
ti
ve
qu
ti
M
di
ac
D
P

S. IOANNES DAMASCENVS.

6. Maij.

1. Ioannes à patria Damascenus dictus, magnus fuit B. Virginis cultor, cuius honorem scriptis libris egregie etiam propagauit, mundique contemptum verbo & exemplo docuit. DOC. Cole & tu Mariam, atque mundi vanitatem contemne.

2. Leoni Iconoclastæ imperatori fortiter se opposuit, honoremque Sanctorum imaginibus habendum defendit. Leo idcirco apud Ducem Saracenorum (cui Ioannes Secretarius erat) falsi criminibus impositis egit, vt ei dextera manus amputaretur. DOC. Et manū & caput pro fide libenter offer.

3. Nocte insequenti ante Virginis imaginem oranti detruncata manus à MARIA restituitur, in miraculi vestigium sola rubenti linea in brachio relicta: tuncque Mariæ manu Iconoclastas, omnesque impios fortius scribendo oppugnauit. DOC. Clientes suos facile Maria sanat, contraque impietatem animat.

4. Factus Anachoreta iubetur in patria fiscellas diuendere: risui hic fuit, qui nuper ob scientiam fueras admirationi. Sed hac ipse victoria Mundum derisit. DOC. Ride & tu si sapias Mundum.

5. In Cœnobio sordidissima munia exequi iussus, promptè fecit, etiam sordes manu victoriosâ ac miraculosâ abstergere non tergiuersatus, quid mirum, si in cœlis tantopere fuerit exaltatus?

DOC. Humilia te, & exaltaberis.

S. MONICA VIDVA.

4. Maij.

1. Monica Sancti Augustini dupliciter mater, quia eum & Mundo & cælo peperit, mortuo marito (quem etiam ad Christi fidem adduxit) castitatem viduit, & s. & opera misericordiae insigniter coluit DOC. Zela & tu aliorum conuersionem maximè vero tuorum,

2. Assiduo Deum pro Filio, qui in Manichæorum sectam inciderat, deprecabatur, fuis etiam lachrymis & verò obtinuit tandem, vt per Sanctum Ambrosium concionibus, & priuatis colloquijs conuerteretur. DOC. Sic & tu alios ad sacras conciones, piorumque vsu ac familiaritatem adducere posses.

3. Conuerso Augustino, aiebat, sibi longiore vita non esse opus, ideoque tota mente ad cœlestem patriam anhelabat, nullaque re amplius in hac vita delectabatur. DOC. O morere & tu vanis mundi huius desiderijs, & ad cœlum aspira.

4. Apud Ostia Tiberina multa cum filio de diuinis rebus locuta, in febrem incidit quo in morbo à sensibus abrepta, resque cœlestes contemplata, ad se rediens, dixit: Vbi eram DOC. Vbi amor, ibi Cor.

5. Ad se reuersa intuens circumstantes, ait: Ponite hic matrem vestram, & ad Altare Dei memoriteris mei. Sic Deo animam pie reddidit. DOC. Pium est pro mortuis Deum exorare.

M
ba
in
sa

ni
lu
A
in

g
c
c
p
S

c
c
r
c

S. ALOYSIVS GONZAGA Conf.

21. Iunij.

1. Nascenti Aloysio invocata à matre Principe, MARIA adfuit, quid mirum ergo, si prima Pueri verba, IESVS & MARIA, fuerint? Mirum & hoc, quod in singulis scalarum gradibus scalam cœli MARIAM salutaret. DOC. Cole ab Infantia MARIAM.

2. Horarium B. Virginis officium quotidie recitavit: diem Sabbathi ieiunio in eiusdem honorem conluit: Adolescens ante imaginem Virginis Anauntiatae florem Virginitatis Deo consecravit, quem semper intactum servavit. DOC. Virgo virgini placet.

3. Corpus tenerum non tenerè habet, sed catenis flagelli loco carnè sæpenumero cruèrat: calcaria pro cilicio admouet: cibi potusque abstinentiam ad stuporem colit. Sic oculos observat, vt tribus annis in aula Imperatoris, nec semel Imperatricem aspexerit. DOC. Sic te ipsum vince.

4. Terreno principatui se abdicavit, & post longam cum Patre pugnam, cum festo Assumptæ Virginis illa è cœlo verba audiisset, Societatem IESV ingredi, regnis eam chariorem complexus est. DOC. Regnum cœli alijs omnibus est anteponendum.

5. Semper IESVM ante studia flexis genibus invocabat: hunc sub panis volo latitantem, ante & post scholas salutabat: in sumptione Eucharistia præ affectus teneritudine lachrymis totus manabat, quid mirum si à IESV tantopere diligeretur? DOC. Dilige IESVM, & diliget te

IESVS.

S. LVDGARDIS Virgo.

16. Iunij.

1. Ludgardis Virgo nobilis à pluribus prociis nobilissimis frustra fuit amata ac requisita cum ei sanctior ac nobilior Sponsus IESVS pectus saucium, & in pectore cor amore flagrans ostendit, & extra hoc nihil aliud querere iussit. DOC. Amor IESV præstat omnium amori hominum.

2. Humana omnia fastidiebat: Crucifixi IESV amorem omnibus præferebat, maximè postquam sacri lateris nectar dato ei osculo libauerat. DOC. Sapis verè, si sapiat tibi Amor Crucifixi IESV.

3. Cum audisset à B. Virgine IESVM iterùm ab Albigensibus Hæreticis crucifigi, ad dolorem hunc mitigandum obtulit septem annorum ieiunium, & pro peccatoribus convertendis totidem. DOC. Impedi & tu mortificatione tui nouam IESV crucifixionem à peccatoribus renouatam.

4. Tanto martyrij ardore flagrauit, vt ebulliens sanguis venam ruperit; sibi que è cælo idem quod Martyribus præmium promitti, audierit. DOC. Ama pro IESV pati.

5. Sacram Synaxim sapius media inter Angelos adire visa est: quandoque etiam stipata B. Virgine, ac S. Ioanne Euangelista. Excecatam ante mortem

Christus & B. Virgo suis aspectibus recreant, morientem que secum in cæ-

los abduxerunt. DOC. O quam

bonum est amare IESVM,

& MARIAM

S. IGNATIVS Fund. Soc.

IESV.

31. Iulij.

1. Ignatius Loyola, antea nobilis miles sæculi, nobilior multo factus est miles Christi, à vana mundi vita conuersus est lectione p. libelli, dum ex vulnere decumbebat. DOC. lectiois librorum spiritualium maxima est utilitas.

2. Conuersionem meditati apparuit noctu Dei-para paruulum IESVM in vlnis gestans, tanta que lætitia perfudit, vt à cunctis mundi, carnisque voluptatibus cœperit abhorre in tantum, vt deinceps omni sensu libidinis caruerit. DOC. Ama IESVM, Virgine-que Matrem & castus eris.

3. Cum arma militiae sæcularis ad aram magnæ Matris suspendisset, mundoque valedixisset, noua ei arma MARIA scientiam Sanctorum dedit, quando eadictante libellum Spiritualium Exercitiorum conscripsit, conuertendis ad DEVM animabus utilissimum. DOC. Ama Exercitia Spirituality Pra fide MARIA instituta.

4. Animarum lucro inhians, vir annorum 37. literas discere aggressus est; socios sibi aggregauit, quibus IESVS se Romæ propitium fore apprens in via adpromisit: atque etiam præstitit, Societatem suo nomine insigniri, recipi, ac confirmari faciens per Sedem Apostolicam. DOC. Zela & tu animarum salutem.

5. In omni actione Maiorem Dei gloriam spectabat, hinc symbolum eius erat, Ad maiorem Dei gloriam. Ob hanc omnibus omnia factus per scholas, conuersiones, catecheses, sacramentorum administrationes &c.

donec transijt quo anhelabat sæpius dicens: Heu

quam lotdet mihi terra, dum cœlum aspicio!

DOC. Quare & tu maiorem Dei

gloriam in omnibus, & glorifica-

bit te DEVS.

S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulii.

1. Magdalena fuit famosa in ciuitate peccatrix, à qua Dominus septem dæmonia, plurium peccatorum auctores eiecit, & ex vase iræ DEI, Vas gratiæ effecit. DOC. Quis de misericordia Dei diffidat?

2. Tacta Spiritu Dei ex concionibus Christi, ad quam eam soror sua Martha induxit, publicam agit pœnitentiam, quæ publicè peccauerat: In domo enim Leprosi accumbenti ad mensam IESV, stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes, & capillis capitis sui tergere & osculari, nec non unguento ungerere pretioso, nihili faciens diſteria aliorum. DOC. Sic & tu serio pœnitentiam age de peccatis, & contritionem prode, ac amorem in DEVM.

3. Defenditur publicè à Christo contra obmurmurationes Pharisei, auditque verbum bonum & misericordia plenum: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit. DOC. Ama Deum intensè, qui te tantum amauit.

4. Lazaro fratri suo defuncto vitam exorat. Christum cum sorore Martha sæpius hospitio suscipit; & hac satagente circa frequens ministerium, illa sedens ad pedes Domini audiebat verbum illius, & optimam partem eligebat DEVM, nunquam à se auferendum. DOC. Elige hanc etiam partem, si sapis.

5. Christo semper adhæret; sequitur concionantem per Iudæam, eiq; ministrat: sequitur ad crucem: condit, & quærit in sepulcro: corpus eius Hortulani specie rediuium agnoscit, nuntiatque Discipulis. In Massilia, cum Fratre ac Sorore in exilium missa, prædicat verbis, sed magis exemplis, iugi se mortificatione conformans Crucifixo, cuius imaginem ante cellam & oculos suos perpetuo habebat: quid mirum si ad Dilectum tandem inter manus Angelorum euolarit? DOC. IESV fideliter seruito.

S. AVGVSTINVS Ecclesiæ Doctor.

24. Augusti.

1. Augustinus ingenio magnus, p̄ omnes facile æquales superavit, quos etiam in vitijs, & secta Manichæorum sequutus, sed horum publicam toti mundo confessionem atque p̄nitentiam fecit. DOC. Nec te pudeat de peccatis p̄nitentiam agere.

2. Rhetoricam Romæ ac Mediolani docuit, vbi S. Ambrosij concionibus, Matrisq̄e ibidem præsentis lachrymis, atque precibus annorum 33. conuersus est baptizatus. DOC. Nunquam sera est conuersio ad DEVM, modo vera.

3. Pontifex Hipponensis in patria factus, Patrem se Catholicis omnibus, hostem Hæreticis acerrimum semper exhibuit. Mores improborum liberrimè capsit, Mensam hospitalem, sed frugalem habuit, cui superscripserat hos versus.

Quisquis amat dictis alienam rodere vitam,

Hanc mensam veritam nouerit esse sibi.

DOC. Ama proximum, eius saluti stude, detractiones fuge.

4. Tanta benignitate fuit in pauperes, vt cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret, daretq̄e ad eorum inopiam subleuandam. Fœminarum consortium omne, etiam sororis familiaritatem vitauit. DOC. Pauperes ama, Fœminas fuge.

5. Cum instare mortem sentiret, æger psalmos David p̄nitentiales parietibus inscribi fecit, legit, & lachrymis multis rigauit; dicere solitus, neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, vt sine p̄nitentia migraret è vita. Sicque suos ad omnem pietatem exhortatus abiit in cœlum.

DOC. Pœnitentiæ & contritioni frequenter indige.

S. CLARA VIRGO,

12. Augusti.

1. Clara genere nobilis Virgo, virtute nobilior Sancti Franciscum imitata facultatibus suis in pauperes erogatis, sacrarum sororum coenobium, vti ille Fratrum instituit, eaque suo Paupertatis, mortificationis ac deuotionis exemplo molles virgunculas facere docuit, quae viri etiam sancti admirantur. **DOC.** Hae laudas & imitare.

2. Quam stricta eius paupertas Deo grata fuerit, miraculum docuit, quo in vacuo vase oleum etiam abundare fecit, & dimidium panem sic auxit, vt 50. Virginibus sufficeret. **DOC.** Dei pauperibus nunquam deest Dei manus.

3. Assisio à Saracenis obfesso, ante Eucharistiam orabat, Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentes tibi: & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti, audiuitque vocem Christi: Ego vos semper protegam: moxque hostes in fugam omnes conuersi sunt. **DOC.** Viua Fides & oratio in periculis iuuant.

4. In extasi amoris raptata est pluries ad Christi nascentis praesepe: aias ad Christi patientis tormentorum loca conspicienda, quibus in amorem Dei vehementius incensa fuit, crucis signo vsa saepe in morbis, Daemonibusque depellendis, **DOC.** Christi nati paupertatem, & passi amorem imitare.

5. Morti proximam Summus Pontifex inuisit, ei-que humiliter petenti indulgentiam peccatorum impertiuit: Imò & chorus Sanctarum Virginum, cum ipsa Coeli Regina clientem inuiserunt, animamque corpore liberatam caelo induxerunt.

DOC. Tam felicem mortem pietas comparare solet.

li
pr
C
di
ex
sta
te
ne
oc
er
co
ca
Fe
na
C
na
co
ve
da
gi
no

S. ÆGIDIUS ABBAS.

1. Septembris.

1. Ægidius regie stirpis fuit, à prima ætate diuinis literis, & charitatis officijs ita deditus fuit, vt nihil præterea curare videretur. DOC. Vis perfectus esse Charitatem cole. Caritas summa perfectio est.

2. Parentibus mortuis adolescens patrimonium diues pauperibus erogauit: quin etiam nobilem tunicam exuit, vt agrum indigentem vestiret, qua ille indutus statim conualuit. Quam charitatem, miraculumque vt tegeret, pio dolo ablatam sibi vestem ab ignoto homine didicitabat. DOC. Pauperibus benefac, & virtutem occulta.

3. Vt sanctitas eius lateret, è cœnobio B. Casarij cum venia discessit, antrumque in eremo cum cerua commune habitauit, cui famelico ceruæ vbera, & panis radices potum cibumque suppeditarunt. DOC. Ferz etiam virtutem hominis colunt, maxime temperantissimi quidni & DEVS?

4. Captæ Ceruæ ad Ægidium refugienti Rex Clodouæus Libertatem indulxit: Ægidio fortuita venatoris sagitta vulnerato Rex Cœnobium in poenam construxit, dotemque regiam donauit; sibi vnam erroris veniam humiliter exorauit. DOC. Talis pietas laudanda est, & imitanda.

5. Etiam grauioris & occulti delicti veniam Ægidius sub precibus Regi impetrauit, quod scheda annotatum è cœlo fuerat delapsum, nunquam delendum nisi Rex monitus à S. Ægidio vitium correxisset:

Sanctus verò post administratum aliquamdiu Cœnobium ad cœlos ipse tam sibi propitios euolauit. DOC. Cauene latens in animo peccatum serues, ne te ipsam damnes.

S. THECLA Virgo & Martyr.

23. Septemb.

1. Thecla illustribus parentibus nata à Paulo Apostolo Fidei præceptis instituta inter Virgines prima habetur quæ Virginitatis Liliū Martyrij purpurâ exornarunt: Nam Themiridem sponsum nobilem præ amore IESV Christi repudiavit. DOC. Disce & tu, cum Thecla & Paulo virginitatem amare.

2. Cum suæ castitatis flagister Paulus in carcerem datus esset, gemmis omnique ornatu muliebri diuenditis aditum sibi ad eum mercata est, verba Pauli nobiliores gemmas æstimans, pro quibus sceriam ad mortem libens obtulit. DOC. Arde & tu audire ac sequi Verbum Dei.

3. Cum Parentes in coniugio sequi nollet, ab ijs est accusata, quod Christiana esset, Primò igne accenso terrenda putabatur, vt Christum deferret, sed signo crucis armata seipsam ei iniecit, qui mox coelesti pluuia est extinctus. DOC. Sic Denm arde, & nullus ignis animæ nocebit.

4. Nunc Herculem vide à Virgine superatum. Leonibus obiecta eos Virgo eiecit: Tauros, quibus alligata erat distrahenda, compescuit: serpentes in fossâ, cui immersa erat, domuit. Ignem etiam, & omnem carnis libidinem Iesu Christi gratia superauit, cui Hercules succubuit. DOC. Virtutem nihil, hæc autem omnia frangit, ac vincit.

5. Hæc certamina tulit annorum octodecim: virtutes heroicas produxit ad annum nonagesimum, ægro plurimos sua fide ac oratione sanans, vnde à Medicis, ob hoc tratis, Lenones impudici contra eam immissi, sed fuga omnes superati, donec matura coelis patentes ipsos pro asylo certo reperit. DOC.

Perleuera in bono, vt Deo æternum fruatis.

S. FRANCISCVS Conf.

4. Octob.

1. Franciscus Assisij natus, cum mercaturæ daret operam, & quodam die pauperem pro Christi amore flagitantem stipem præter consuetudinem repulisset, repente eo facto commotus, & misericordiam ei largam impertuit, & ex eo die Deo promisit nemini se vaquam poscenti eleemosynam negaturum. DOC. In pauperes esto misericors.

2. Ardentius ad Euangelicam perfectionem anhelans quidquid habuit pauperibus est elargitus. Quod agrius ferens Pater, & coram Episcopo, ut bonis paternis cederet agens, à Francisco facile impetravit, qui etiam vestes à se reiiciens Patri, dixit, nunc in posterum maiorem se habiturum occasionem dicendi, Pater noster, qui est in coelis. DOC. Ama paupertatem.

3. Cum Socios Orbi conuertendo, sibi (approbante etiam Sede Apostolica) aggregasset, ipse cum suis insigniter se virtutibus excoluit. Castitatem etiam abiecto in niues corpusculo zelavit, & victoriam reportauit. DOC. zela & tu castitatis honorem.

4. Licet diuinitus cognitum esset Franciscum lapsurum à coelo Angeli sedem habiturum, ipse se mortalium victimum, ac sceleratorum principem dicebat, ac haberi volebat: quia si Deus, addebat, tantam cuius laroni gratiam tribuisset, multo se gratiorem Deo exhiberet. DOC. Cognitio vilitatis suæ.

5. Ob nimium crucifixæ amorem, à Seraphino forma crucifixi apparente quinque IESV Christi vulnera membris suis impressa accepit: omniaque terrena despectui habens, DEVS meus & omnia communiter exclamabat, donec omnia in Deo, mortuus Mundo, accepit. DOC.

Ama Crucifixum.

S. THERESIA Virgo.

15. Octob.

1. Theresia ab infantia dies æternos in mente habuit, hinc primum fari visa, In æternum, In æternum, In æternum, exclamabat. Parua adhuc cum paruulo fratre Mauritaniam versus aufugit, vt pro Christo martyrium pateretur. DOC. Cogita æternitatem.

2. Matre mortua MARIAM sibi in matrem adsciuit, Maria verò mox illi Sponsum Filium suum conuiliavit, quo sibi cum illa, & S. Iosepho apparente Seraphinorum vnus cor Theresiæ saculo diuini amoris crebrauit. DOC. Ama IESVM, MARIAM & Ioseph.

3. Amoris IESV testimonium in ea est, quod etiam veniale peccatum magno pere fugit, monstri loco ducens Religiosum cum peccato mortali. Quid, quod vouerit semper se esse facturam, quod gratius DEO intellexisset? Amorem sanè non vulgarem indicat. DOC. Fuge etiam studiosè peccatum veniale.

4. Cum cœli gaudia Christus illi aliquando maxima ostenderet, viden', ait Theresiæ, quantis se bonis spolient peccatores? Hinc pro illis conuertendis multa deuotionis opera, & suas carnis afflictiones, qua frequentes patiebatur, sibi que vltro indicebat, offerre satagebat. DOC. Stude & tu peccatis deditos emendare.

5. Singulare donum meditationis à DEO obtinuit, illiq; se plurimum impendebat: cum Carmelitarum Ordinem singulari impulsu Dei non absque magnis difficultatibus instaurasset. B. Virgo, & Virginis Sponsus Iosephus, quem ardentè semper coluit è cœlo vestem illi attulerunt: vtrique nuptialem, cum qua in nuptijs Agni, quod paulò post factum est, compareret. DOC. Anhela & tu ad ecclestes Agni nuptias suspirijs & iugi oratione.

S. MARTINVS EPISC.

II. Nouemb.

1. Martinus cum decimum aetatis annum ageret, inuitis etiam parentibus ad Ecclesiam Catholicam confugit, & in catechumenorum numerum est adscriptus. Annorum 15. cum miles factus esset, illique pauper stipem petens in Christi nomine occurreret, nihilque praeter arma & vestem suam haberet, partem chlamydis suae dedit, cum qua Christus illi nocte sequenti apparens, dixit: Martinus catechumenus haec me veste contexit. DOC. Ama fidem, Ecclesiamque Catholicam, & Pauperibus benefac.

2. Factus Episcopus cultui B. Virginis addictus fuit, cuius aspectu & familiaritate in comitatu Theclae & Agnetis iucundissime perfruebatur. DOC. Amor B. Virginis.

3. Quanti faceret sacerdotij honorem, tunc offendit, cum eum Imperatoriae maiestati anteposuit: primum enim in mensa poculum praebens non Imperatori Maximo, sed Sacerdoti suo portexit. Ipsa Imperatrix beatam se putauit, cum de micis, quas Martinus reliquas fecerat, vesci potuit. DOC. Honor Sacerdotio exhibendus.

4. Dæmon illi volens illudere, Christum ementibus in habitu regio apparuit, sed Martinus egregie eum deludit, dicens, nosse se Dominum IESVM, sed crucifixum, non purpura, aut diademate renitentem. DOC. Amor Christi crucifixi.

5. Cum per vehementem febrem mors eius instaret, dixerunt ad eum Discipuli, cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Tum ille ad DEVM conuersus ait:

Domine si adhuc populo tuo sum necessarius,
non recuso laborem, fiat voluntas tua.

DOC. Amor proximi: resignatio
in voluntatem DEI.

S. ELISABETHA VIDVA.

19. Nouemb.

1. S. Elisabetha Hassiæ ac Thuringiæ Landegravia, filia Regis Hungariæ, adhuc paruula largas ex suo peculio eleemosynas dabat, obstringens eos ad recitandam orationem Dominicam, & salutationem Angelicam. DOC. Esto in pauperes à primis annis misericors.

2. Ex aspectu, & consideratione Christi Crucifixi deliquium animi passa est, moxque omnem Mundi ornatum exuit, & à se omnino reiecit. Aulici comitatus loco pauperes & afflictos quærebat, eorum pedes & capita abluerebat, vlcera exosculabatur & emundabat. DOC. Sic & tu honora in pauperibus crucifixum.

3. Cum fame terra premeretur, Xenodochium edificauit, vbi quotidie 900. pauperes cibo refecit, iisque proprijs manibus ministravit. DOC. Christo in pauperibus ministra.

4. Mortuo coniuge Landtgrauio graues mox iniurias est passa. Pulsa primum propria ex arce famem tulit, labore manuum victum sibi comparauit, incommoda alia multa fortiter, magnoque animi gaudio sustinuit. Quid mirum si his crebræ orationi coniunctis animam Matris è Purgatorio liberarit? DOC. Fer dura fortiter, pro animabus tuorum in purgatorio ora, ac te mortifica.

5. A Christo sapius circa vitæ finem visitata, etiam ab Angelo sub specie cantantis susuiter volucris misericè recreata; cumque bona sua omnia pauperibus tradidisset, liberior in cœlum euolauit. DOC. Ora pro felici morte, thesaurosque tibi in cœlo congrega.

S. FRANCISCVS XAVERIVS Conf.

2. Decembris.

1. Franciscus Xaverius genese, doctrina, ac virtute Nobilis, eum Parisijs studia Philosophica absoluisset, ac docuisset, Sancti Ignatii spiritualibus exercitijs excultus Ignatio cum alijs socijs adhæsit, vir zeli planè Apostolici factus. Qui ut omnia in se peccata iuuentutis puniret, fœmora funibus cilicinis tamdiu, & am fortiter constrinxit, ut ad mortem ægrotarit, nisi factis, pro eo sociorum precibus prodigiôsè mox liberatus fuisset, cum Medici desperassent. DOC. Ama exercitia spiritualia. Puni in te peccata Iuuentutis.

2. Charitatem erga omnes libenter exercebat, sanis & ægrotis seruiendo, omniq̃ue ope adiuuando. Cum aliquando sentiret reluctantem naturam in tractando homine vlceroso, mox ut se superaret, ore suo pus ipsâ pluries exsuxit. DOC. Disce te heroicè superare colendo virtutem.

3. In Gentium conuersione, ad quam DEVS eum & S. Ignatius destinauit, nulli labori pepercit, quorum plures quam decies centena millia conuertit, ac baptizauit, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrificeret. DOC. Zelus animarum.

4. Ad cruces, duraq̃ue ferenda clamabat, Amplius Domine, amplius; sed inter ea tot eum DEVS spiritualibus delicijs perfudit, ut hisce nimium ebrius, diducto à pectore vestimento, quo cor refrigeraretur, clamaret, satis est Domine, satis est. DOC: Amor Crucis.

5. Prophetiæ spiritu multa prædixit. Sna oratione exercitus vicit. Longè dissitis & periclitantibus subuenit. Demortuos quinque supra viginti ad vitam reuocauit. Sic cum Indiam Iaponiamq̃ue Christi fide imbuisset, idemq̃ue in Chinensi regno facere studeret, ex portu regui hujus ad cœleste à Deo est euocatus. DOC: Landa Deum in admirabili sancto suo.

S. BARBARA Virgo & Mart.

4. Dec.

1. Barbara Diocori Ethnici parentis filia catholica Sanctissimæ Trinitatis mysterium, & Christi crucem in amoribus habuit: hinc in turri quam ei Pater ædificabat, voluit tres fenestras fieri, & pavimentum cruce multa insigniri. DOC. Hæc duo dignus est Christiani Amor.

2. Parens filiam Christianam cognoscens graviter Romachatur, fugientem ferro stricto insequitur, sed latebras fugienti dedit pandens se montis sinus. DOC. facile est DEO hominem contra impios defendere.

3. Proditæ à Pastore Barbara exemplo inaudito rapitur à Patre ad tribunal Iudicis. Virgis dirissimè caditur, sed mox à Christo ei apparente sanatur. Vbera ei castissima abscinduntur: neque his ira Patris sedatur, donec filia sua carnifex factus caput ei propria manu detruncavit. DOC. Christus suos pati finit; sed non deserit.

4. Ipso in loco Carnifex Parens, cælo impietatem vindicante, fulmine percutitur & enecatur, Tartaroque immergitur: Filia verò, cum Sponso Christo abit æternum triumphatura in cælum. DOC. Noli bella contra cælum gerere, sed Christo pare.

5. Nunc è cælo Barbara opitulatur ijs, qui diligenter orant, ne sine viatico SS. Eucharistiæ diem suum obeant. Testis huius est Stanislaus Koska sanctissimus adolescens (postea Societatis Iesu Religiosus) nam in graui morbo præ sente D.

Barbara, ab Angelis panem Angelicum, vti valdè desiderabat, suscepit. DOC. Cole D. Barbaram: ora vt hoc viatico ante mortem confirmeris.

215

216

218

220

223

217

219

221

222

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239


240


241

242

243

244







Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Th
3167